



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Liber Primvs. De Prvdentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

I

LIBER PRIMVS
DE
PRVDENTIA,
PRIMA VIRTUTE
CARDINALI.

Hic Liber continet duo CAPITA.

PRIMVM est, *De Prudentia secundum se spectata.*
SECVNDVM, *De partibus Prudentia, & vitiis oppositis.*

CAPVT PRIMVM.

De prudentia in se spectata. *Habet Dubitat. 4.*

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Prudentia. D. Thomas q. 47.

^I
Prudentia
unde dicta.



PRVDENTIAE nomen dictum videtur à porro videndo, teste Isidoro lib. 10. Etymol. cap. 15. *Prudens*, inquit, dicitur quasi porro videns. *Per spicax enim est, & incertorum videt casus.* Græci vocant *ᾠρᾱν* *ἄνθρωπος*, & ᾠρᾱν, quod sapere, intelligere, cogitare significat, cum affectu quodam ad rem cogitatum. Hoc autem ᾠρᾱν ᾠρᾱν, quod mentem denotat, deriuatur. Accipitur autem dupliciter. Primò generatim, pro omni notitia veri, præsertim quæ aliquo modo ad rectè viuendum pertinet. Hoc modo Ambrosius lib. 1. de Officijs cap. 24. dixit, *Prudentiã in veri inuestigatione versari, & scientiã plenioris infundere cupiditatẽ*, vt notauit D. Thomas q. 47. a. 2. ad 2. Sic accepta comprehendit etiam fidem, & vniuersã Theologiam, & sapè in Scripturis vocatur *Sapientia*, vt Ecclesiastici 3. & 33. Prouerb. 3. & 8. Sap. 6. & alibi. Secundò, speciatim & propriè, pro virtute intellectus proximè morum directricæ. Hoc modo est virtus cardinalis, de qua hîc tractamus. Hanc D. Antonius, teste Cassiano collat. 2. cap. 2. omnibus alijs virtutibus præferbat, tamquam directricem ceterarum, quæ non sinat eas à recto ad dextram vel sinistram deflectere. Ce eras enim virtutes, si discretio absit, necessariò impingere, vel nimio feruore, vel torpore & remissione:

hanc totam efficere vt regia via incedant. Item, hanc esse quæ in Euangelio vocetur oculus & lucerna corporis nostri, à qua totum virtutum veluti corpus sit illustrandum, &c. D. Ambrosius lib. 1. de Officijs c. 27. dicit prudentiam esse *primum officij* (id est, boni operis) *fontem*. Sine hac nec iustitiam, nec aliam virtutem esse posse. Idem docet D. Augustinus lib. 1. de Moribus Ecclesiæ, cap. 24. Ex quibus constat, quanti hæc virtus sit momenti, quantoque studio comparanda. Varijs modis definiri potest.

D. Augustinus lib. 1. de Lib. arb. cap. 13. definit *Definitio- Prudentiam esse rerum appetendarum & fugiendarum scientiam*. lib. 83. qq. q. 30. *Esse rerum bonarum, & malarum, & neutrarum scientiam*. Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 5. *Prudentia est habitus cum ratione vera circa bona humana actiuus*. Vbi quidam legunt, *est habitus verus*. alij ex eodem Aristotele sic: *Prudentia est recta ratio agendorum*. Hæ omnes definitiones bonæ sunt; clariùs tamen sic defini potest: *Prudentia est virtus intellectus, qua in quouis negotio occurrente nouimus quid honestum sit, quid turpe*. Hęc definitio habet quatuor partes.

PRIMA, *Virtus intellectus* ad intellectum pertinere per se notum est, & indicat ipsum nomen, vt dictum est. Deinde functiones quæ ipsi tribuuntur, vt consultare, iudicare, & imperare, quæ sunt rationis. Esse *virtutem* docet Aristot. loco citato, & omnes Philosophi atque Theologi, & colligitur innumeris sacra Scripturæ locis, quibus

Prudentia
nomen eu-
pliciter ac-
cipitur

Exollicatur
definitio
postrema.

bus Prudentia commendatur, imprudentia reprehenditur & damnatur.

Prudentia falli nequit circa proprium obiectum.

Probatur ratione, Primò, quia est mensura & regula virtutum, quæ sunt in voluntate, à qua ratio virtutis in ipsas descendit: vnde ipsa non potest non esse virtus. Secundò, quia est certa notitia honesti & turpis: ita enim Prudentia fertur in suum obiectum, vt ex modo iudicandi falli non possit circa proprium obiectum; quia euidenter cognoscit esse honestum vel turpe. Cuius signum est, quòd is qui iudicat sibi aliquid esse honestum vel licitum, de quo dubitat vel formidat an in eo non peccet, sit imprudens, & imprudenter iudicat: nempe quia iudicium Prudentiæ debet esse euidentis & certum, excludens omnem rationabilem formidinem. Dico rationabilem; quia non semper excludit scrupulum. Hic enim sæpè perferuat cum iudicio Prudentiæ; tamen vt tunc iudicium sit prudens, debet reputari scrupulus: & sic etiam scrupulum quodammodo excludit Prudentia. etsi enim imaginatio peccati perferuat cum quadam anxietate, tamen per prudentiam reputatur vmbra, non veritas.

Prudentia non est opinio.

Ex his sequitur, opinionem honesti non esse iudicium prudentiæ; quia non ita fertur in suum obiectum vt non possit esse falsa: quam ob causam non est virtus, vt rectè Aristot. 6. Ethic. cap. 3.

Nec obstat quòd interdum opinio sit vera; quia id non habet ex intrinseco modo tendendi in suum obiectum, sed per accidens & fortuito. nam sicut est vera, ita poterat esse falsa, nulla facta in ipsa variatione.

Obiectiōnes.

Dices Primò, Etiam Prudentia falli potest, vt patet in Iacob, qui iudicabat honestum accedere ad hanc mulierem Liam; cum tamen non esset honestum, quia Lia non erat eius vxor: de quo Genesis 29.

Respondeo, Prudentiam in proprio suo iudicio falli non posse, ratio est, quia iudicium Prudentiæ supponit diligentem, & iuxta capacitatem humanam sufficientem rei considerationem; qua posita, etiamsi opus fortasse in se non sit absolute honestum, tamen respectu huius hominis sic affecti est honestum, & ita iudicatur cum his circumstantijs prudenter & absque errore esse honestum. Sicut enim potest aliquid esse iucundum alicui in certa dispositione & affectione, vt potus aquæ sitienti, quod extra talem dispositionem esset molestum: ita etiam potest aliquid cuiuspiam in certa dispositione esse honestum, quod extra eam non esset. Sic ergo Iacob per prudentiam non iudicabat hanc esse suam vxorem; vel accedere ad hanc esse absolute honestum; (hæc enim iudicia non erant iudicia prudentiæ, neque imprudentiæ, sed inculpati erroris in homine prudente) sed iudicabat hoc esse sibi honestum, spectatis circumstantijs quæ tunc se offerebant. hoc enim iudicium immediate erat directiuum operationis. Erat etiam hoc iudicium verum; quia spectato illo errore inculcato, & ceteris circumstantijs, erat illi verè honestum ad hanc accedere, vt fusiùs ostensum est 1. 2. quæst. 19. art. 6.

4

Dices Secundò, Prudentia versatur circa operationes singulas, de quibus ob summam mutabilitatem nulla potest esse certitudo; possunt enim secundum innumeratas circumstantias variari: vnde Philosophi dicunt, de rebus singularibus non

esse scientiam: ergo Prudentiæ iudicium non potest esse certum.

Resp. Etsi demonstrationes non fiant de singularibus immediate, sed de vniuersalibus, sub quibus multa singularia continentur, & hac ratione dicatur de singularibus non esse scientia: tamen de singularibus certa notitia haberi potest, qualia sint, vel esse debeant; vt hanc domum esse rectè factam vel non rectè; & vt rectè fiat, hac & illa requiri. hoc enim iudicium ex regulis vniuersalibus & notitia vniuersalium pendet. Sic potest esse certa notitia de actionibus singulis, si tunc honesta, nec ne; & quid requiratur vt honesta fiant. Iudicium enim semper fit ex certis & determinatis circumstantijs, cum quibus singule actiones faciendæ occurrunt, & ex determinatis principijs, quæ in rebus singulis sunt consideranda.

De rebus singulis potest esse notitia certa.

Dices Tertio, Multi prudenter agunt, & tamen postea dubitant, vel formidant se malè fecisse: aiunt enim, Si malè feci, Deus ignoscat. ergo Prudentiæ iudicium non est certum.

Resp. Si ante actionem, vel actione iam inchoata, dubites vel formides te peccare, non potes prudenter iudicare id esse agendum; quia teneris abstinere, ne pecces. Nisi fortè in abstinendo videretur tibi esse maius, vel certè non minus peccatum. Tunc enim prudenter & certò potes iudicare esse faciendum, & re ipsa facere, abique peccato. Nec refert quòd tunc putes te peccare; quia iste error per accidens ex imbecillitate intellectus interuenit: nec impedit quòd minus illud iudicium, quo iudicas opus esse faciendum, sit prudens, eò quòd nulla suppetat ratio in præfenti negotio meliùs iudicandi. Nec obstat quòd videaris agere contra conscientiam, ac proinde imprudenter & culpabiliter: quia reuera non agis contra conscientiam: non enim dicat tibi opus esse omittendum; sed solum speculatiuè videretur tibi esse peccatum. cum qua peccati imagine vel opinione stare potest iudicium practicum, Hoc opus hic & nunc secundum rectam rationem est mihi faciendum; quod iudicium est certum, euidentis, & prudens, & ex eo sequitur bona actio. Si verò post actionem formides esse peccatum, hæc formido non impedit quòd minus iudicium præcedens, ex quo secuta est actio, fuerit certum & euidentis. Nam facile fit, vt actio, quæ antea se offerebat vt honesta, postea ob considerationem nouæ circumstantiæ, vel obliuionem alicuius quæ adfuit, se offerat vt ambigua: quo modo nasci sæpè solent infiniti bonarum mentium scrupuli.

Qua formido possit consistere cum iudicio prudentiæ.

An peccetur contra conscientiam.

SECUNDA PARS, Qua nouimus in quouis negotio occurrente, quia prudentia versatur circa actiones singulas. Non enim est prudens, qui nouit in genere quidnam ad quamque virtutem requiratur; & in singulis actionibus ob eundem non nouit determinare circumstantias necessarias ad honestatem, v. g. locum, tempus, modum, & c. quod scire debet non in vno tantum genere actionum, sed in omni: alioquin non est absolute prudens, sed prudens in solum in certa materia & secundum quid. Itaque Prudentia in ijs, qui perfectum rationis vsum habent, extendit se ad omnes actiones liberæ totius vitæ, eas considerans & dirigens.

Prudens in absoluto.

Prudens in certa materia.

TERTIA PARS, Quid honestum sit, id est, quid deceat agere. Hic explicatur obiectum, & effectus, &

8

&

Idem est obiectum, effectus & finis prudentia.

& finis Prudentia. Agere enim honeste, est obiectum Prudentie, (sicut edificare domum, est obiectum artis) quod obiectum prius natura quam existat, consideratur a Prudentia per modum obiecti. Est etiam opus, seu effectus Prudentia, (sicut edificare est effectus artis) quatenus Prudentia dirigit voluntatem in eligendo, & potentias executrices in exequendo. Denique est etiam finis Prudentia, quia Prudentia non est ob cognitionem honesti, sed ob actionem. vide Arist. 6. Ethic. cap. 6.

Nota, Prudentiam scire quid honestum & quomodo honeste agendum, quatenus novit in particulari determinare quae circumstantiae sint necessariae ut opus fiat honestum: nempe ut temperate comedas, ut iuste iudices, ut iniuriam patienter feras, & similia.

9 **QUARTA PARS.** *Et quid turpe.* Sicut enim virtutis est facere bonum, & vitare malum: ita Prudentia est nosse bonum ut agatur, & malum ut vitetur. Vnde D. August. *Prudentiam dicit esse scientiam rerum appetendarum, & vitandarum.* Et Aristot. dicit *Prudentiam versari circa ea quae bona vel mala sunt homini;* nempe iudicando in particulari quid homini amplectendum, & quid vitandum in agendo. Ratio est, quia contrariorum eadem est scientia: nemo enim perfecte potest scire quomodo recte vivere debeat, nisi sciat quidnam in moribus sit vitandum.

10 *Explicatur reliqua definitio.*

Ex his facile intelligi possunt reliqua definitiones. Prima enim, quae est D. Aug. intelligenda est de scientia seu notitia rerum appetendarum & vitandarum in particulari, seu in singulis actionibus. In Secunda vero, quae Aristotelis est, primo dicitur esse *habitus verus*, id est, qui per se & naturam suam verus est; non autem per accidens dumtaxat, ut opinio. Secundo dicitur, *cum ratione actiuus*, id est per iudicium rationis, iudicium enim rationis est proprius actus Prudentia, per quem actum Prudentia operatur actus aliarum virtutum, illas in suis actibus dirigendo. Quod autem illud, *Cum ratione*, ita intelligendum sit, ut idem quod per rationem, tamquam per proprium actum, probatur; quia alioqui Iustitia, Fortitudo, Temperantia dicentur virtutes cum ratione activae; ut quae non possint agere sine iudicio rationis. Hoc tamen est contra mentem Aristotelis, qui illa parte vult excludere alias virtutes a definitione Prudentia. Tertio dicitur, *circa ea*, &c. id est, circa honestum & turpe, nempe ut honestum agatur, turpe fugiatur. In Tertia dicitur, *Est recta ratio agendorum*. id est, notitia recte seu honeste agendi: seu, est notitia, qua recte dirigantur humanae operationes.

DUBITATIO II.

Quomodo Prudentia ab alijs virtutibus distinguatur.

D. Thom. quest. 47.

11 *A moralibus.*

Respondeo, & Dico Primo, A Virtutibus moralibus distinguitur, Primo, quod Prudentia sit in intellectu, cuiusque actus elicited sit essentialiter notitia; Virtutes autem morales sunt in voluntate, earumque actus elicited sit essentialiter volitio vel nolitio. Secundo, hinc sequitur alia differentia; quod Prudentia sit veluti mensura & regula, qua Virtutes morales regulentur & dirigantur: qui actus voluntatis diriguntur per intelle-

ctum. Tertio, quod Prudentia respiciat honestas actiones, sub ratione veri. Nam eius est considerare quanam vere sint honestae, quae autem solum videantur tales, & quae aperte inhonestae. Virtutes autem morales respiciunt eas sub ratione boni; quia inclinant in eas, tamquam in proprium bonum naturae rationalis.

Dices, D. Th. 2. 2. q. 47. a. 4. in corp. dicit Prudentiam respicere bonum non solum materialiter, sed etiam formaliter, id est, inquit, sub ratione boni. ergo non sub ratione veri; quia fieri nequit ut eadem virtus vel etiam eadem potentia respiciat suum obiectum sub duplici ratione formali.

Obiectio.

Omnia solutio Caiet. Respondeo, Prudentiam respicere opus honestum dupliciter. Primo, tamquam obiectum cognoscibile; & sic respicit illud sub ratione veri. Secundo, ut finem operabilem; & sic respicit illud sub ratione boni. Non enim Prudentia considerat quid honestum, ut in illa veritate cognita sistat, sed ut per virtutes morales illud operetur, quia bonum.

Prudentia dup. respicit opus honestum.

Aduerte tamen, etiam si Prudentia sit essentialiter virtus intellectus, tamen ratione materiae & finis, merito ponenda est inter Virtutes morales, ut recte docet D. Th. 1. 2. q. 58. a. 3. ad 1. quia tota versatur in consideratione & directione morum. Dicitur itaque moralis, non quod sit elicitedia morum (sicut Iustitia, Fortitudo, Temperantia); sed quia morum directiva.

12 *Prudentia quo modo est virtus moralis.*

Dico Secundo, A Virtutibus intellectus distinguitur; a Sipientia quidem, quia Sipientia est mere speculativa, & versatur circa res diuinas, & indicat per causas supremas, nec postulat rectum affectum. Prudentia vero est omnino practica, versatur circa actiones humanas, iudicat saepe per causas inferiores, & postulat affectum ordinatum. vide Aristotelem lib. 6. Ethic. cap. 7.

13 *A Virtutibus intellectus. A Sipientia.*

Ab Intellectu, quia intellectus est tantum habitus cognitio principiorum, ex quibus aliorum notitia ducitur. Prudentia proprie versatur circa particularia, quae ex principiis cognoscuntur. Vnde supponit tamquam fundamentum, Intellectum principiorum moralium, qui dicitur *synthesis* secundum Theologos.

Ab Intellectualu.

A Scientia, quod scientia sit vniuersalium, nec postulet rectum appetitum. Ab Arte, quod Ars sit recta ratio faciendorum (*ἡ δὲ πρᾶξις*) Prudentia vero agendorum (*ἡ δὲ ἀετιολογία*) iuxta Aristotelem 6. Ethic. cap. 5.

A Scientia.

Vbi nota differentiam inter facere & agere. (Graeci dicunt *ποιεῖν* & *ἔργασθαι*.) Facere, est edere operationem transeuntem in externam materiam ut fiat aliquod opus; v.g. domus, nauis. Agere, est edere actionem immanentem vnde homo habet bonus vel malus. Secundo, Prudentia imprimit actioni formam honesti: Ars vero imprimit non actioni, seu praxi, sed operi producto formam artificialem, vbius humanis accommodam; ut pater non solum in artibus, quae externam materiam adhibent; sed etiam in iis, quae opus hominis; ut ars canendi, saltandi: cantus enim & saltus per se non sunt *ἔργα*, sed opus, *πραξις*. Tertio, Hinc sequitur alia differentia, ut Prudentia postulet appetitum rectum, Ars minimè.

14 *Discrimen inter facere & agere.*

A Fide distinguitur, quod fides versetur immediate circa mysteria diuina, & alia quae non sunt in nostra potestate; sitque magna ex parte speculativa; neque dirigat immediate nostras actiones, neque postulet

15 *A Fide.*

postulet rectum affectum, nisi circa auctoritatem primæ veritatis, Prudentia tamen Christiana necessariò supponit fidem: sicut scientia cognitionem principiorum, v. g. beatitudinem nostram consistere in visione Dei: hanc operibus bonis promerendam: Sacramentis vtendum, &c.

¹⁶
A Theologia. Denique à Theologia distinguitur; quòd Theologia magna ex parte sit speculatiua: & non versetur immediatè circa actiones nostras: neque postulet rectum affectum, nisi eo modo, quo fides. Prudentia tamen supernaturalis conuenit cum Theologia, quòd sicut Theologia supponit expressam fidem mysteriorum, & cognitionem multarum veritatum naturalium: ita Prudentia supernaturalis supponit fidem principiorum reuelatorum, ad mores pertinentium, & cognitionem naturalem non reuelatorum.

DVBITATIO III.

Quenam sint functiones Prudentiæ.

D. Th. q. 47. art. 6. 7. 8. 9.

¹⁷
Functio-
Prudentiæ. R Espondeo, Generatim ab Aristotele & D. Th. numerari tres, nempe, *benè consultare, benè iudicare, & precipere executionem.* Debent autem hi actus, vt benè fiant, fieri certo modo; nempe cum *solicitudine & diligentia*, vt D. Th. a. 9 docet. Prudentia enim in suis functionibus postulat diligentiam; scilicet prout conditio personæ, & negotij momentum, requirit. Cuius signum est, quòd nemo dicatur prudens, qui vel in consultando, vel in iudicando, vel in exequendo non adhibet diligentia debitam. Ratio est, quia prudentia est omnes circumstantias considerare, & omnia necessaria ad finem intentum (quantum fert conditio personæ) conuenienti modo, loco, tempore, &c. adhibere: quod sine magna diligentia fieri nequit. Dico *quantum fert conditio personæ*, quia si quis adhibuit quod potnit, vt rectè iudicaret, iudicium erit prudens, etiam si speculatiuè errat: vt supra dictum est.

¹ Munus, Consultare. Primum igitur Prudentiæ munus est, *Benè consultare*, inquirèdo quæ media, & quæ circumstantiæ necessariae sint vt opus fiat honestè, & secundum virtutem. Operari enim secundum virtutem est finis Prudentiæ. Ad hunc finem querit in singulis negotiis idonea media per consultationem. Vnde Aristoteles 6. Ethic. cap. 7. *Prudentis maxime opus est, rectè consultare.* plura de consilio diximus 1. 2. q. 14.

² Iudicare. Secundum munus est, *Rectè iudicare* post consultationem. Hoc autem fit, quando post diligentem inquisitionem & considerationem rei concluditur quid, quòve modo, loco, tempore, quibusque aliis circumstantiis sit agendum, vt opus secundum virtutem fiat. Ad hoc iudicium maxime expedit in promptu habere sententias Sapientum, & in primis quæ in Proverbiis Salomonis & Ecclesiastico. hæ enim ad omnem prudentiam in omni vita hominem informant. vnde consultum esset eas memoriâ tenere.

¹⁸
Prescribit medium virtutibus. Per hocce duos actus Prudentia dicitur *muenire, & prescribere medium virtutibus moralibus.* id est, quidnam in singulis functionibus mensuræ rationis sit cõmentum, non exorbitans per excessum aut defectum. v. g. in Iustitia, quid, quantum, vbi, quando, cui sit relittuendum, in Temperantia, quantum, quo modo, vbi, quando vtendum cibo,

vel vxore. Prescribit autem medium, iudicando id esse medium, seu honestum, & per hoc iudicium ostendendo, seu obediendo illud voluntati, vt per virtutem moralem amplectatur.

Vtrum autem Prudentia etiam prescribat finem virtutibus moralibus, disputatur inter Scotum & Thomistas. Scotus enim in 3. d. 36. q. vnica ar. 2. affirmat, Caier. q. 47. a. 6. negat. Sed respondendum cum distinctione. Si enim loquamur de fine vniuersali, & abstracto, quem virtus moralis per se adæquatè respicit, sic Prudentia per se non prescribit illi finem. Non enim per se dicitur Prudentia in genere esse temperatè viuendum: esse fortiter agendum, & patienter ferendum: quæ sunt fines vniuersales adæquati virtutum moralium. Et hoc est quod vult D. Thom. a. 6. cum ex mente Aristotelis ait, *Prudentia non esse prescribere finem virtutibus moralibus, sed solum disponere de his quæ sunt ad finem.*

²⁰
Dixi Per se, quia etfi prudentia per se non prescribat in genere fines virtutum; tamen prescribit eos per suum fundamentum, & principium ex quo pendet; nempe per habitum *synteresis* (vt rectè D. Th. a. 6. ad 1.) qui est notitia principiorum moralium: vt patet ex 1. p. q. 79. Hic enim dicitur esse temperatè & iustè viuendum, quæ in moralibus sunt principia. Et hoc sensu dici potest Prudentia prescribere finem virtutibus moralibus, quia cum ipsa includat habitum *synteresis*, tamquam suum fundamentum & radicem; quod per hunc fit, rectè dicitur per prudentiam fieri, & hoc probant argumenta Scoti. Nam si virtus moralis secundum suam essentiam consideretur, non supponit necessariò aliud dictamen prudentiæ quàm dictamen *synteresis*; cognita enim honestate, quæ est in temperatè viuendo, potest homo in genere illi affici, & firmiter proponere temperatè viuere: quod propositum permanens habitu, erit essentialiter virtus. Si verò loquamur de fine particulari, quem virtus moralis in singulis actionibus intendit, hunc finem per seipsam prescribit Prudentia, vt expressè docet D. Th. 1. 2. q. 66. ar. 3. ad 3. Quia virtus moralis in singulis actionibus intendit honestè operari, seu attingere medium, vt per se constat; hoc enim est finis intrinsecus in quacumque actione virtutis. Quid autem in singulis honestum, seu medium, & quænam ad hoc necessaria, ostendit prudentia. His adde, Prudentiam dici etiam prescribere ea quæ sunt ad finem: (vt docet D. Th. art. 6. ex Aristotele lib. 6. Ethic. c. 12 & 13.) tum quia posito affectu generali alicuius finis per virtutem moralem, v. g. per intentionem viuèdi temperatè, Prudentia prescribit quibus & qualibus actionibus ad eum finem pertingas: tum quia in singulis actionibus, posito affectu rectè operandi, prescribit circumstantias ad hoc necessarias.

²¹
Prudentia virtus moralis in singulis actionibus intendit, hunc finem per seipsam prescribit Prudentia, vt expressè docet D. Th. 1. 2. q. 66. ar. 3. ad 3. Quia virtus moralis in singulis actionibus intendit honestè operari, seu attingere medium, vt per se constat; hoc enim est finis intrinsecus in quacumque actione virtutis. Quid autem in singulis honestum, seu medium, & quænam ad hoc necessaria, ostendit prudentia. His adde, Prudentiam dici etiam prescribere ea quæ sunt ad finem: (vt docet D. Th. art. 6. ex Aristotele lib. 6. Ethic. c. 12 & 13.) tum quia posito affectu generali alicuius finis per virtutem moralem, v. g. per intentionem viuèdi temperatè, Prudentia prescribit quibus & qualibus actionibus ad eum finem pertingas: tum quia in singulis actionibus, posito affectu rectè operandi, prescribit circumstantias ad hoc necessarias.

²²
Et medium prescribit. Tertium munus est, *Rectè imperare.* Hoc imperium multi Thomistæ putant esse actum omnino distinctum à iudicio, qui semper sit necessarius vt voluntas interiùs, vel exteriùs liberè operetur. etfi enim intellectus iudicet bonum esse hoc facere; tamen voluntatem non posse moueri, nisi intellectus imperet voluntati, interiùs dicendo Fac hoc: quo imperio posito, voluntatem non posse detrectare, sed necessariò obedire. Sed 1. 2. q. 17. art. 1. dub. 2. ostensum est, tale imperium non esse necessarium, imò euertere libertatem.

Itaque quando ab Aristotele 6. Ethic. c. 10. & D. Th.

Quo modo
Prudentia
imperat.

D. Th. a. 8. dicitur *Prudentia esse imperare vel præcipere*; non intelligitur imperium propriè dictum (nisi loquamur de Prudentia æconomica, vel politica quæ respicit inferiorem) nemo enim sibi ipsi propriè imperat, dum aliquid facit; sed dicitur *imperare*, quia Prudentiæ est præscribere quid & quomodo agendum, & mouere voluntatem ad consensum & ad opus. Præcipuus enim effectus, atque ad eod finis prudentiæ est vt opus fiat, vt docet Aristoteles cap. 10. distinguens Prudentiam à Synesi, id est, perspicacia. Perspicaciæ enim solum est iudicare: sed Prudentia non sinit in iudicando; verum ulterius imperat, seu mouet voluntatem vt opus faciat. Vnde quantumuis aliquis rectè iudicet; si tamen non ita iudicat in particulari vt re ipsa voluntatem moueat opusve faciat, non dicitur prudens, sed imprudens, & imprudenter agere. Non quod aliquis actus elicitus Prudentiæ illi desit, vel etiam quod interueniat aliquod iudicium imprudens: (etsi enim plerumque, & ferè semper tale iudicium interueniat, quando non sequimur iudicium Prudentiæ in agendo; tamen absolute non est necessarium: vt patet ex dictis 1. 2. q. 9. a. 1.) sed quia vltimus effectus, & finis Prudentiæ desit; & consequenter, quia aliquid fit, vel omittitur contra iudicium Prudentiæ. Quod autem rectè dicatur Prudentia imperare, & præcipere ratione huius motionis, patet: tum quia præscribere quid agendum, & ita mouere, est munus imperantis, & superioris: tum quia idè dicitur ratio imperare appetitui inferiori, & anima corpori; nempe quia aliquo modo mouet: (non autem ratione imperij propriè dicti) ergo cum Prudentiæ munus sit, instar superioris suo modo mouere voluntatem, eamque in executione operis dirigere, rectè dicitur eius esse imperare.

26
Imperium
Prudentiæ
fit formaliter
per actum iudicij.

Hinc sequitur, hoc imperium non fieri per aliquem actum distinctum à iudicio, sed formaliter per actum iudicij, quo prudens iudicat hoc opus cum talibus circumstantiis esse faciendum. Nam hoc iudicium omnino sufficit ex parte intellectus ad mouendam voluntatem: non tamen habet rationem imperij efficacis, nisi re ipsa moueat voluntatem. Constat igitur hoc imperium in causalitate, & veluti efficientia, quam actus iudicij habet in actum voluntatis: de quo plura diximus 1. 2. q. 9. a. 1.

27
Quo modo
Prudentia
præcipiat,
disponendo
de medijs.

Ex his facile intelligi potest quomodo prudentia præcipiat virtuti morali, non præstituendo illi finem, sed disponendo de his quæ sunt ad finem. vt ait D. Th. a. 6. & obscure explicat Caiet. Nempe quia prudentia per se mouet virtutem moralem, non quidem ad effectum honesti in genere: (ad hoc enim mouet *Synteresis*, vt dictum est) sed ad affectum honesti in singulis actionibus, ostendendo cum quibus circumstantiis debeat operari, vt honestè operetur.

Dices, Virtus moralis potius debet præcipere Prudentiæ, quàm Prudentia ipsi; quia virtus moralis versatur circa finem, Prudentia autem circa ea quæ sunt ad finem, vt dictum est: atqui virtus quæ versatur circa finem, imperat virtutibus quæ circa media; ars enim militaris imperat artibus quæ conficiunt arma: ergo. Respondet Caiet. Virtutem moralem non versari circa finem auctoritatiuè, & idè non posse imperare Prudentiæ. Quod non versetur auctoritatiuè, probat; quia virtus moralis non perficit primò intentio-

Responsio
Caiet.

nem finis, sed electionem mediourum. Sed hæc solutio non videtur vera. Primò, quia virtus moralis per se primò est affectus habitualis honesti, v.g. temperatè viuendi: quia est affectus boni per se amabilis: ergo primò perficit intentionem finis. Antecedens probatur ex D. Aug. lib. de moribus Ecclesiæ cap. 15. vbi docet omnem virtutem esse *amorem boni*: amor autem per se primò tendit in finem, non in media. Secundò, quia propositum seu intentio temperatè viuendi est actus virtutis, cum sit difficilis, rectæ rationi consentaneus, & laude dignus. atqui non potest esse actus secundarius virtutis: tum quia est adæquatus virtuti Temperantiæ, tum quia non supponit vllum alium actum seu affectum, vnde sequatur: est ergo primarius actus virtutis Temperantiæ. Tertio, Voluntas primò & immediatè inclinatur in affectum boni in genere: ergo virtus moralis inclinatur primò & immediatè in affectum honesti sui generis sibi adæquati; quia omnis potentia & habitus primò & per se respicit obiectum sibi adæquatum. Quarto, Si virtus moralis, v.g. Temperantia, non facit per se primò intentionem rectam circa finem, id est, circa vitam temperatam: quid est, quod illam rectam facit? Non enim natura sua est recta. debet ergo fieri recta ab aliquo habitu accessorio: qui habitus sine dubio est virtus, neque alia quàm Temperantiæ. Et quamuis valdè probabile sit alium esse habitum circa finem abstractè consideratum, alium circa media; sicut in scientiis alius ponitur habitus circa principia, alius circa conclusiones; (nulla enim est ratio, quæ contrarium conuincat, & proportio quæ est inter finem & principia, inter conclusiones & media, id videtur postulare) tamen habitus circa finem non est ponendus distincta virtus ab habitu circa media: sed vterque iunctus est vna integra & completa virtus moralis, tendens in vnum finem adæquatum, qui est honesta vita in tali materia. Sicut vnum habitus principiorum & conclusionum sunt vna integra & completa virtus intellectus, tendens ad vnum finem, qui est perfecta veritatis intelligentia. Dicuntur autem duo habitus & duæ virtutes intellectuales, sed partiales, & essentialiter incompletæ.

Omissa ergo sententia Caiet. Respondeo, Virtutes morales etiam quodam modo præcipere seu imperare Prudentiæ; sed aliter quam Prudentia præcipiat ipsis. Ratio est, quia intellectus mouet voluntatem, & vicissim voluntas intellectum. Prudentia igitur præcipit Virtutibus moralibus, ostendendo, & præscribendo quomodo, & in quid ferri debeant; & ita mouendo ex parte obiecti ad speciem actus. Virtus moralis præcipit Prudentiæ, volendo vt prudentia hoc vel illud consideret, & ita applicando ex parte subiecti ad exercitium actus. Hoc tamen non potest facere, nisi ante mota sit à Prudentia, vel certè à Synteresi. Itaque potius Prudentia dicitur præcipere Virtutibus moralibus, quàm hæc virtutes Prudentiæ: tum quia omnis motio incipit à Prudentia, (non enim voluntas potest mouere, nisi ante mota per intellectum) tum quia motio Prudentiæ est sublimior. mouet enim per modum finis & specificantis actum voluntatis; Voluntas solum per modum applicantis extrinsecus: vnde eius motio sæpè non est necessaria.

28
Resolutiv.
Virtus moralis
perficit primò
intentionem
finis.

Probabile
est esse distinctum
habitum circa
finem,
& circa
media in
virtutibus
moralibus.

29
Alia re.
sponso.

Quo modo
etiam
Virtus
moralis
præcipiat
Prudentiæ.

DVBITATIO IV.

Utrum Prudentia pendeat à virtutibus moralibus, & quomodo.

30 **R**espondeo, Prudentiam in suis functionibus pendere ordinariè à virtutibus moralibus. colligitur ex Aristot. 6. Ethic. cap. 5. & 13. Probat-ur, quia Prudentiæ est, id quod in singulis actio-nibus est honestum, apprehendere, seu iudicare tamquam hic & nunc conueniens: atqui virtus moralis in voluntate existens, facit vt id quod est honestum, videatur intellectui conueniens, & hic & nunc acceptandum. Quisque enim iudicat prout est affectus: iracundus enim apprehendit intellectu vindictam tamquam conuenientem; & intemperans voluptatem; avarus, habere copiam pecuniarum: seruare autem in his modum ratio-nis, non apprehendunt vt conueniens sibi hic & nunc, sed vt summum, vt conueniens in genere, vel pro alio tempore & statu rerum. Sicut enim in
31 *Quo modo affectus mouet iudicium.* animalibus, varij instinctus & propensiones natu-ræ faciunt vt phantasia apprehendat varias res tamquam conuenientes vel repugnantes: ita in hominibus varij affectus siue voluntatis, siue appetitus inferioris, siue habitus sint, siue actu, sunt causa cur phantasia & intellectus aliquid apprehendat vt conueniens vel disconueniens. Morales itaque virtutes in voluntate latentes faciunt vt intellectus bonum honestum in actionibus iudicet esse conueniens hic & nunc fieri: idque præstant, partim quia comprimunt passiones, quæ rationem perturbant in consideratione honesti, & bonum delectabile ostentant: partim quia subiectum ita disponunt, vt opus honestum sit ei quàm maximè congruum, sicut sitienti potus, esurienti cibus. Vnde mirum non est, intellectui statim ita videri. Consensio enim illa, quæ est inter obiectum & affectum, causa est ex parte obiecti, vt apprehendatur per modum conuenientis. Sicut è contrario dissonantia est causa cur intellectus apprehendat vt dissentaneum.

Vnde apparet quantam vim habeat affectus in omnibus iudiciis practicis nostrarum actionum directiuis. Idque experientia quotidiana compro-bar. vide 1. 2. q. 9. a. 2. & 5. Dixi, ordinariè, quia aliquando (etsi rariùs) fit vt aliquis de honesto hic & nunc prudenter iudicet, quamuis voluntas sit prauè ad illud affecta. ebrius enim interdum iudicat bonum esse vt hoc tempore & loco, in hoc conuiuio rationis mensuram seruet; etsi affectus ad hoc non inclinet: & mæchus, vt se hic & nunc contineat; quamuis affectus in contrarium tendat. ratio est, quia vt intellectus possit comprehendere honestum sub ratione conuenientis hic & nunc, sufficit consensio, quam illud habet cum natura rationali, in qua veluti in radice omnes virtutes morales continentur. prauus enim affectus non possunt illam consensionem & congruentiam tollere; quamuis eam multum obscurent & ob- uoluant. Vnde moraliter fieri nequit vt quis cre-

bro prudenter iudicet in particulari, sine virtute morali.

Dices, Virtutes morales supponunt prudentiam; quia sunt habitus electiui secundum dicta-
33 *Omissio.* men prudentiæ: ergo prudentia non supponit vir- tutes morales: essent enim seipsis priores ac poste- riores, & sibi ipsis causæ & effectus.

Respondeo, Virtutes morales completas suppo- nere prudentiam completam tamquam magi- stram, & directricem, quæ in singulis functioni- bus ostendat quid, & quomodo agendum. Inchoa- tas verò (nempe vt solum sunt affectus honesti in genere, v. g. temperatè viuendi; cuique, quod solum est, reddendi) supponere prudentiam in- choatam per *Synteresin*; quæ est rudimentum quoddam, inchoatio, & principium prudentiæ: sicut affectus ille honesti est inchoatio virtutis moralis. At prudentia secundum, illam suam in- choationem non supponit vilo modo virtutem moralem; sed est cauta virtutis moralis inchoata: secundum verò suum complementum, quod habet vt se extendit ad actiones singulas, supponit virtutem moralem, saltem inchoatam.

Aduerte tamen, prudentiam posse dici duplici- ter completam; primò essentialiter, cum se non tantum extendit ad principia moralia, & conclu- siones generales, sed etiam ad plerasque actiones indiuiduas alicuius virtutis. Secundo extensiuè, cum potest facillè in omni casu occurrente iudica-
34 *Prudentia & Virtus moralis dupliciter dicitur completa.* re. Simili modo virtus moralis potest dupliciter dici completa; essentialiter & extensiuè. Essentialiter, cum extendit se ad aliquas functiones suæ materiæ promptè obeundas. Extensiuè, cum ad omnes. Priore modo Prudentia non supponit vir- tutes morales, nisi inchoatas; neque omnes, sed eas tantum, in quarum materia versatur. Altero modo supponit omnes virtutes morales, etiam comple- tas. Quia nemo potest in omni casu prudenter iudicare, v. g. in materia temperantiæ, nisi aliis quo- que virtutibus sit instructus: si enim caret forti- tudine, non rectè iudicabit de honesto temperan- tiæ, mortem intentante tyranno; si iustitia, non rectè iudicabit quando ius alterius per temperan- tiam violaretur, negando debitum coniugi. itaque perfecta Prudentia requirit omnes virtutes morales: singulæ quoque virtutes morales si perfectæ sint, supponunt prudentiam; ita tamen vt prudentia priùs se extendat ad quamuis actionem in indi- uido, quàm virtus moralis se ad illam proferat. Nam iudicium prudentiæ semper præit affectum virtutis moralis circa vnum eundemque actum indiuiduum. Sed de his plura 1. 2. q. 58.

Ex his intelligi potest in quibus sit prudentia; 35 (de quo D. Tho. a. 13.) perfecta enim prudentia in quibus non potest esse nisi in vitis probis, qui affectum in omni materia virtutis rectè dispositum habent. Hi enim soli rectè iudicare in omni negotio oc- currente possunt. In hominibus improbis, vel ali- cui vitio deditis non potest esse nisi imperfecta prudentia. quia prauus affectus, quo laborant, non sinit eos prudenter in materia virtutis opposi- tæ iudicare.

CAPVT SECVNDVM.
De partibus Prudentiæ, & Vitiis oppositis.

Habet 4. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quæ sint partes subiectæ Prudentiæ, id est, In quas species diuidatur.

De quo D.Tho. q. 48. et 50.

NOTANDVM est, D. Thom. q. 48. constituere triplices partes Prudentiæ; nempe subiectiuas, potentiales, & integrales. *Subiectiuas* vocat species seu inferiora, quo modo homo & brutum dicuntur partes animalis. *Potentiales* vocat virtutes quasdam adiunctas, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias; ita vt non habeant totam vim principalis virtutis. quo modo potentia animæ dicuntur animæ partes apud Philosophos. *Integrantes* vel quasi integrantes vocat ea, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis. Hic quærimus de partibus subiectis, in quas tamquam in inferiora diuiditur.

Prudentia
alis Natur
ralis, alia
Supernatu
ralis.

1. Respondeo igitur, Prudentiam posse rectè diuidi primò in naturalem & supernaturalem, siue in acquisitam & infusam. *Naturalem* voco, quæ non excedit limites rationis naturalis. Hanc solam Philosophi agnouerunt. Pendet ex *Synteresi*, quæ est notitia principiorum practitorum, vt Decalogi & similium; & ex virtutibus moralibus sui ordinis: comparaturque vsu, nascitur enim ex actibus. *Supernaturalis* est, quæ limites notitiæ naturalis excedit. pendet ex fide & ex virtutibus moralibus sui ordinis. Sicut enim sunt aliquæ virtutes morales commensæ prudentiæ naturali, & tendentes ad honestum naturale, quod est consentaneum naturæ rationali quæ talis est: ita etiam videntur esse quædam virtutes morales commensæ dictamini prudentiæ infusæ, tendentes in honestum supernaturale, quod est consentaneum statui hominis supernaturali: nimirum hominis Christiani filij adoptiui Dei, &c. de quo plura 1. 2. q. 58.

Prudentia
5. Species.

2. Secundò, diuiditur immediatè in prudentiam personalem seu *soliariam*, & in *gubernatricem*. *Gubernatrix* diuiditur in quatuor species; *Oeconomica*, *Ciuilem*, *Legislatricem*, & *Militarem*. Itaque in vniuersum ponuntur quinque species Prudentiæ. Ex quibus quatuor priores ponit Aristoteles 6. Ethic. c. 8. & vocat partes Prudentiæ. quintam addit D. Th. q. 50. art. 4.

Soliaria seu *personalis* est, qua quis in singulis actionibus spectat quid agere deceat, proprium intendens bonum.

Oeconomica, qua quis rectè gubernat familiam, eius bonum solum spectans.

Ciuilis seu *politica* est, qua quis rectè administrat ciuitatem, legesque seruari curat.

Legislatrix seu *nomothetica* est, qua quis idoneas leges condit.

Militaris, qua militia ritè administratur.

3. Ratio harum specierum est, quia Prudentiæ generatim acceptæ est procurare bonum hominis operationum directione: hoc autem procuratur vel directè, vel indirectè, scilicet amolendo ma-

la, quæ bonum hominis impediunt. Si indirectè, hoc fit per prudentiam militarem, qua hostes bonum publicum & priuatum perturbantes auertuntur. Si directè, vel procuratur bonum proprium, vel communitatis: si proprium, erit prudentia personalis. Si verò communitatis, tum vel familiae, vel Reipublicæ. Si familiae bonum intendatur, erit *Oeconomica*. Si Reipubl. id fiet vel ferendo leges (quod proprium est supremi Principis) & sic erit *Legislatrix*: vel curando proximè vt mandentur executioni, (quod fit per magistratus immediatos) & sic erit *Prudentia ciuilis*. Per *ciuilem* enim non intelligit Aristoteles virtutem subditorum, qua legibus parent; (vt D. Th. videtur accipere) sed magistratum, qua curant leges seruari, & totam Reipubl. gubernant, vt rectè Eustratius exponit. Nam Aristoteles ponit duas huius partes, *Consultricem* & *Judicatricem*: illa præbet in dubiis consilium, hæc exercet iudicia in tribunalibus: quorum vtrumque pertinet ad personam publicam. Adde, non esse opus peculiari prudentia in ciue vt legibus communibus pareat, sicut nec domesticis vt præceptis patrisfamilias.

Hic tamen Notandum est primò, solam *Prudentiam personalem* absolute dici Prudentiam, & hominem facere absolute & simpliciter prudentem, vt docet Aristoteles c. 8. Quia is solus absolute prudens est dicendus, qui sua præ ceteris omnibus curat, seipsum omni virtute exornans. Prudentia enim per se primò curat bonum suum, id est, sui subiecti. Ceteræ verò prudentiæ species non vocantur absolute nomine Prudentiæ; sed secundum quid, seu cum adiuncto, vt prudentia *Oeconomica*, vel *Ciuilis*, vel *Legislatrix*, vel *Militaris*: quia non spectant bonum tuum, sed alienum; vnde neque necessario postulant, neque faciunt affectum habitus rectum; sed potius affectum alienum, præsertim *Oeconomica*, *Ciuilis*, & *Legislatrix*; quia intendunt bonum communitatis; nempe vt familia vel Reipublica secundum virtutem degat. Nam *militaris* potius videtur esse ars quædam disponendi exercitum ad prælium, quam species Prudentiæ: sicut ars nautica, ars negotiandi, & similes. Vnde quidam de arte militari scripserunt. Potest tamen poni species Prudentiæ, quatenus disponit & curat vt milites fortiter & cum virtute militares functiones obeant. Hoc enim videtur propriè officium prudentiæ militaris. Vnde supponit artem militarem, eique addit rationem dirigendi milites secundum virtutem.

Notandum secundò, singulas species dictas 6 posse rursus in multas alias vel species, vel potius in partes veluti integrantes diuidi. Probabile enim Prudentiam personalem tot habere partes specie distinctas, quot sunt species Virtutum. Non enim qui prudens est in functionibus Iustitiæ, statim quasi inter-

Prudentia
personalis
est absolute
Prudentia,
reliquæ cum
adiunctis.

Quælibet
Species Prudentiæ
varis partibus
constat.

est prudens in functionibus Temperantiae, vel Fortitudinis: quamvis vt absolute dicatur prudens, debeat in omni materia virtutis passim occurrente prudens esse. Idem dicendum de Prudentia Ciuili, Oeconomica, Legislatrice, & Militari. Varia enim sunt genera militiae, & gubernationis ciuilis & domesticae, ratione variarum circumstantiarum, tum loci, tum personarum, tum finium adiutorum, (vt commodorum vel incommodorum) quae diuersissimam rationem agendi postulant, vt bonum exitum habeant.

7 Notandum tertio, Prudentiam personalem quodammodo completi omnes alias prudentiae species; quia potest se extendere ad omnes illarum functiones, dictando de iisdem actionibus de quibus ipsae; sed sub alia ratione. Quidquid enim ordinat vel iubet paterfamilias per prudentiam economicam, spectans bonum familiae, potest ordinare & iubere per prudentiam personalem, spectando bonum honestum suae actionis; nempe vt officio suo satisfaciat. Quatenus enim in agendo spectat vt familia recte sit disposita, dirigit suam actionem prudentia economica; vt vero intendit satisfacere suo officio, vel agere id quod decet suam personam, dirigit eam prudentia personali. Idem dicendum de Ciuili, Militari, & Legislatrice.

Itaque prudentia personalis omnino completa, qua quis in omni statu, seu officio potest se gerere vt decet, includit illas prudentias tamquam partes, superaddens illis respectum ad proprium bonum, quod est honeste agere. Neque enim Rex potest habere prudentiam suae personae necessariae, & facere omne id quod se decet, nisi norit leges viles ferre; & ita requirit prudentiam Legislatricem. Neque Magistratus officio suo satisfacit, qui non nouit Rempublicam administrare, iudicia exercere, bono ciuium consulere; & ita requirit Ciuilem. Et hoc est quod vult Aristoteles c. 3. in principio, cum ait; *Prudentiam & Ciuilem (πολιτικὴν) esse eundem habitum, sed non habere eandem rationem seu idem esse.* Prudentia enim completa includit Ciuilem & reliquas tamquam partes: refert tamen illarum materiam ad suum finem; & ita distinguitur ratione formali. vide Gyraldum in lib. 6. Ethic. q. 14. Si tamen Prudentia personalis accipiat vt dirigit hominem constitutum extra publicum officium, sic non includit illas; sed est species omnino distincta a ceteris.

DUBITATIO II.

Quaenam sint partes integrantes Prudentiae.

D. Thomas q. 49.

9 Notandum est, Partes integrantes Prudentiae posse dupliciter poni; Primum, vt partes integrantes dicantur illae, ex quibus veluti membris Prudentia tota proprie constat. Non enim Prudentia est simplex aliquis habitus, sicut neque scientia speculatiua, sed constat multis partibus instar totius heterogenei, respicientibus diuersam rationem honesti, quae est in diuersis virtutibus. Aliis enim regulis & notionibus diriguntur functiones iustitiae, aliis temperantiae, aliis fortitudinis & patientiae: quae tamen omnes necessariae sunt ad integram & absolutam Prudentiam. Dicitur autem Prudentia vna virtus, sicut Theologia & Physica dicitur vna scientia: nempe quia respicit vnum obiectum generale, quod est viuere secundum virtu-

Prudentia non est habitus simplex.

tem; idque sub vno eodemque modo tendendi, qui est considerare singulas actiones cum omnibus circumstantiis, de quo plura 1. 2. q. 57. Verum D. Th. non loquitur hoc modo de partibus Prudentiae; quia non videtur tales ponere. Secundum, vt partes integrantes Prudentiae dicantur quaedam functiones, sine quibus non habetur perfectus usus prudentiae. Hoc modo ponit octo partes prudentiae, *memoriam, intelligentiam, docilitatem, solertiam, prouidentiam, rationem, circumspectionem, cautioem.* e quibus *solertia & docilitas* maxime iuuant ad acquirendam prudentiam. *memoria, intelligentia, prouidentia, ratio,* potissimum iuuant ad vsum prudentiae in consultando & iudicando. *cautio & circumspectio* ad executionem operis; quae dicitur fieri in perio Prudentiae.

Memoriam vocat recordationem eorum quae legimus, audiimus, vidimus, aut aliter experti sumus. Ex his enim saepenumero facile colligimus quid in praesenti negotio expediat; plurimum enim valent tum exempla aliorum, tum experientia ipsa ad Prudentiam.

Intelligentiam vocat notitiam praesentium: vt enim prudenter iudices, necesse est praesentem statum rei tibi esse probe perspectum. Potest etiam hoc nomine significari notitia principiorum moralium.

Prouidentia dicitur consideratio futurorum euentuum, qui possent se qui ex opere.

Ratio dicitur promptitudo quaedam ratiocinandi, & aliud ex alio colligendi.

Docilitas accipitur pro affectu & promptitudine ad discendum.

Solertia (quam Arist. vocat *ἀσχυροσύνη*, & melius Latine diceretur sagacitas) est species bonae coniectationis, (quae ipsi dicitur *ἔσχυρία*) est enim solertia, seu sagacitas, medij (id est rationis alicuius cur res sit probanda vel improbanda) inuentio tempore breuissimo, vt idem Aristoteles docet lib. 2. prior. Analyt.

Circumspectio est consideratio circumstantiarum, ne qua desit in opere.

Cautio est cura vt vitentur incommoda, quibus res est exposita, v.g. ne proximus offendatur, ne incidas in aduersam valetudinem. poterat haec sub circumspectione comprehendi.

Notandum est, non omnes hos actus a diuersis habitibus proficisci: Cautio enim, Circumspectio, Prouidentia, & Intelligentia sunt actus Prudentiae; quia intrinsece includuntur in prudenti iudicio, & executione. Memoria, Ratio, Solertia, & Docilitas tantum requiruntur ad acquirendam Prudentiam, vel ad acquisita perfectionem vsum.

DUBITATIO III.

Quae sint partes potentiales Prudentiae.

D. Thomas q. 51.

12 Respondeo, Valde ingeniose ad D. Th. ponit res partes potentiales Prudentiae, *Eubuliam, Synesiam, & Gnomem.* Per *Eubuliam* intelligit habitum quemdam, qui praebet facultatem recte consulendi: id est, inueniendi bonum consilium in rebus ambiguis & perplexis. Per *Synesiam* habitum recte iudicandi de consultatis, idque ex consideratione communium principiorum practicoorum, scilicet legum naturalium & posituarum, & finium illarum, quos fines Legislator spectauit. Per *Gnomem*, habi-

12 Tres partes potentiales Prudentiae.

habitu rectè iudicandi ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, iuxta tamen mentem Legislatoris. vide Caiet. qu. 120. a. 1. & 2. Vocat autem, has partes potenciales Prudentiæ; quia Prudentia his vitur ad suum finem, veluti membris quibusdam suis; vel vt anima vitur suis potentiis ad suum finem. Sicut enim in singulis animæ potentiis elucet vis & conditio animæ, etsi non plenè: ita in istis facultatibus, earumque functionibus elucet natura & conditio Prudentiæ, etsi non adæquatè.

13
Non distinguuntur reipsa & Prudentia habitu.

Vtrum sint habitus distincti ab habitu Prudentiæ, dubitari potest Probabilis est non esse ab illa distinctos realiter, sed esse ipsam Prudentiam inadæquatè consideratam; nempe vt se ad hanc vel illam functionem extendit; vt probat Gyraldus lib. 6. q. 15. Probat, quia Prudentiæ proprium est inquirere media ad finem idonea: atqui hoc fit bona consultatio; ergo bona cōsultatio est actus proprius Prudentiæ. Vnde rectè Aristoteles ait 1^o p. 7. lib. 6. Prudentia maxime opus esse dicimus, rectè consultara. Neque fatiscit, si dicatur, Prudentiæ proprium est benè consultare, quod impetret illam; nam consultatio de mediis non imperatur propriè à Prudentia, sed à cognitione & amore finis. In qua cognitione finis nō tam cernitur Prudentia quàm synteresis. Cernitur autem primò in consultatione, si benè fiat: ergo bona consultatio est prima functio in qua Prudentia elucet. Quod etiam rectè iudicare siue ex ipsis legibus, & earum finibus, quod facit *synesis*, siue ex altiori consideratione, quod facit *gnome*, sit actus Prudentiæ elicitus, patet; quia per hunc actum Prudentia imperat voluntati, eamque & potentias inferiores in executione dirigit; vt supra ostensum est.

14
Dicitur.

Dices, Aristotelem per synteresim non videri significare partem aliquam Prudentiæ, seu iudicium Prudentiæ præcedens executionem; sed perspicaciam quamdam ingenij in alio, qui de iudicio & factio prudētis acurè iudicat, vt exponit Eustratius in cap. 10. lib. 6. dicitur enim *συντοια καὶ εὐσυντοια*, teste Aristotele ibidē, qui altero aliquid dicēte vel faciente statim potest percipere, rectène an secus dictū factūve sit: sicut discipulus dicitur *εὐσυντοια καὶ εὐσυντοια*, qui statim percipit quod magister docet. Vnde apud Græcos *εὐσυντοια* sæpè vsurpatur pro *μαρτυριαν*, quod est percipere quod alius dicit.

Respondeo, verum esse, Aristotelem quidem hoc pacto synteresim ibi accipere: non tamen negat quin similis facultas in prudente requiratur circa inuenta per consultationem. Vnde rectè D. Th. posuit partem Prudentiæ. Imò ipsemet Aristoteles lib. 1. Magnor. moral. c. 35. expressè docet Synteresim esse Prudentiæ partem: quamuis interdum esse possit in eo qui non est prudens. Per *γνώσιον* idem intelligit Aristoteles, quod D. Thomas, nam lib. 6. Ethic. cap. 11. dicit Gnomem esse Rectū iudicium æqui & boni. *Æquum & bonum* (quod Græcis dicitur *τὸ δίκαιον*) est, quod cū sit contra verba legis, (etū non contra mentem Legislatoris) iudicio prudentis definitur; vel vt Arriot. lib. 5. c. 10. definit, est *correctio legis, quatenus deficit obrinuerisalem locutionem*. Eodē pertinet sententia D. Thomæ, cū ait Gnomem iudicare ex principiis extraordinariis contra verba legis. idem enim valent, corrigere legem vbi dēicit obr vniuersalem locutionem, (quod propriè ad gnomem pertinet) & iudicare ex altiori principio contra verba legis.

15
Quid Gnomis Arist.

Ratio autem cur interdum opus sit hac correctione legis, & consideratione altioris principij, quàm sit finis proximus legis, est, quia leges vniuersaliter latae sunt, vt legislator finem proximum, quem per illam intendit, vt plurimum assequatur: quo fit vt multi casus occurrant, in quibus non expedit eas seruari, quia aliquid fieret contra aliam Legislatoris intentionem, & contra bonum publicum vel priuatum. Vniuersales enim Regulæ in rebus practicis patiuntur multas exceptiones. hæ exceptiones quia verbis legum comprehendere non poterant, relictae sunt iudicio prudentum, & vocantur *τὸ δίκαιον*, id est, æquum & bonum. Iudicium verò quo de illis iudicatur, vocatur *Gnome*, quod Latine benignam sententiam postumus nominare: hoc autem peti debet ex altiori consideratione, ob quam verba legis nō sunt seruanda. In legibus pœnalibus dicitur *συντοια*, id est, venia, vel pœnæ mitigatio. Exempli gratia, lex vniuersè præcipit, Qui occidit, occidatur. Tu tamen inuasus ab alio occidisti: Vir æquus, per *γνώσιον* iudicat verba legis hęc non esse seruanda, teque non esse morte puniendum: quod iudicium pendet ex alia consideratione, quàm præceptum legis illius. Virtus verò quæ in voluntate respondet huic iudicio, dicitur *ἐπιεικεια*. Vnde sicut *ἐπιεικεια* se habet ad iustitiam, ita *γνώσιον* se habet ad prudentiam. Est igitur pars potentialis Prudentiæ siue Prudentia ipsa, vt versatur circa æquum & bonum: sicut *ἐπιεικεια* est pars iustitiæ, & iustitia quædam, vt rectè Aristoteles cap. illo 10. docet; quod quomodo verum sit, dicitur infra cap. 47. Dub. 9.

Συντοια

Επιεικεια

DYBITATIO IV.

Quot & quibus modis peccatur contra Prudentiam.

D. Thomas' quest. 53. 54. 55.

Dico Primò generatim loquendo, omne peccatum est contra prudentiam. patet, quia omne peccatum est contra iudicium prudentiæ, sicut omne opus bonum est secundum iudicium Prudentiæ.

16
Omne peccatum est contra Prudentiam.

Aduerte tamen, non esse necessarium, vt sicut omne opus bonum sequitur ex iudicio prudenti, ita omne opus malum sequatur ex iudicio imprudenti; potest enim sequi ex iudicio indifferenti, quo aliquid iudicatur non quidem esse honestum, vel turpe, sed esse delectabile, vel molestum. Hoc enim iudicium sufficit vt voluntas possit illud opus velle, aut nolle, vt ostensum est 1. 2. quæst. 9. a. 1. dub. 4. & 5.

Non tamen ex imprudentia.

Dices, Omnis peccans est imprudens, imò & ignorans, teste Aristotele: ergo omne peccatum sequitur ex errore, vel ignorantia.

Resp. Negandam consequentiam. Dicitur imprudens, non quòd semper imprudenter iudicet, sed quia imprudenter (id est, contra prudentiæ dictamen) operatur. Dicitur ignorans, non quòd necesse sit vt ignoret rem esse turpem, vel noxiam salutem: sed quia vel ignorat, vel non satis considerat illam turpitudinem, quam si consideraret, vt par est, non faceret. Et quamuis fieri possit vt aliquis plenissimè rei turpitudinem considerans, eam nihilominus faciat, propter voluntatis libertatem, quæ sicut bonum honestum etiam clarè propositum non necessariò amplectitur, sed potest

17
Omnis peccans ignorans.

potest repudiare, ob molestiam annexam; ita obiectum turpe clarè propositum non necessariò repudiat, sed potest amplecti ob voluptatem annexam: tamen hoc rarissimè fit. Vnde vniuersè dici potest, omnem peccantem esse ignorantem.

18
Cōtra Prudentiam peccatur, excessu & defectu.

Dico Secundò, Si magis speciatim loquamur, dupliciter contra prudentiā peccatur, iuxta D. Th. per excessum, & per defectum. Probat, quia sicut obiecta aliarum virtutum consistunt in medio, ita etiam obiectum Prudentiæ: (idem enim est obiectum circa quod versatur Prudentia consultantdo, & iudicando, ac alia virtutes inclinando) ergo sicut contra alias virtutes potest peccari per excessum, & defectum; ita contra prudentiam.

19
Defectū, quatuor modis.

Dico Tertiò, Per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter, *præcipitatione, inconsideratione, inconstancia, & negligentia*. Probat, quia ea peccata sunt propriè contra prudentiā, quæ sunt contra regulas prudentiæ, quas ipsa in suis functionibus seruare debet; item quæ sunt contra functiones proprias prudentiæ: atqui hæc peccata sunt talia, ergo. Minor pater; Prima enim regula Prudentiæ est, vt priusquam opus aggrediaris, vel iudicium feras, deliberes de medijs, de modo & ordine exequendi, de cauendis impedimentis, &c. contra hanc regulam est *præcipitatio*, quæ proposito aliquo sine ita opus aggreditur, vel certè iudicat de medijs, & modo exequendi, omiſsa deliberatione. Secunda est, vt rem de qua iudicandū est, eiusq; circumstantias diligenter inspicias: contra hanc est *inconsideratio*, quæ iudicat, omiſsa diligētī inspectione. Tertia est, vt rebus deliberatis & rectè iudicatis inhæreas, neque te finas ob leues ratiunculas diuelli. contra hanc est *inconstancia*, qua sine vlla, vel certè sine iusta causa mutas sententiam. Quarta est, vt rem deliberatam & iudicatam, oportuno tempore mandes executioni. contra hanc est *negligentia*. Hæc tamen dupliciter potest considerari: Primò, vt est omiſſio diligentia requisita in ipſo opere externo, & sic non est directè contra prudentiam, sed contra virtutem, in cuius materia versatur; vt negligentia in orando, est contra Religionem; in soluendo debito, contra iustitiam. Secundò, vt est omiſſio diligentia requisita in actu intellectus excitantis & dirigentis voluntatem & vires externas ad executionem; & sic est contra prudentiam. *Præcipitatio* igitur est directè contra consilium: *inconsideratio* contra iudiciū: *inconstancia* contra iudicij firmitatem: *negligentia* cōtra rationis vigilantiam in exequendo. Est enim omiſſio actiū rationis, qui necessarij sunt vt opus suo tēpore fiat.

Præcipitatio.

Inconsideratio.

Inconstancia.

Negligentia.

20
Qualia sine peccata.

Notandum est Primò, *præcipitationem & inconsiderationem* non esse peccatum mortale, nisi ratione periculi alicuius peccati mortiferi, cui se homo exponit, præcipitanter vel inconsideratè iudicando vel agendo: quia sicuti in actibus prudentiæ non quaritur rectitudo propter ipsos actus, sed propter opus quod illis actibus est dirigendum; (quia in regula non quaritur rectitudo propter ipsam regulam, sed propter id quod regulæ est conformandum) ita prauitas imprudentiæ æstimanda est ex opere, quod inde sequitur.

Inconstancia numquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto vel præcepto tenearum persistere in sententia, vel ob aliquam causam extrinsecam, vt ad vitandum scandalum, &c.

Idem dico de *negligentia*. hæc enim non est peccatum mortale; nisi negligas id, ad quod sub

peccato mortali teneris, vel ita sis animo remisso ad ea quæ salutis sunt, vt euidenti periculo aliquid tale negligendi te exponas.

Notandum Secundò, Ad prædicta peccata reduci alia quædam, quæ non sunt tam directè contra prudentiam, vt *obliuioſitatem, indocilitatem, & defectū ratiocinandi, ad præcipitationem: defectum intelligentiæ, cautele, & circumſpectionis, ad inconsiderationem*. ad eandem referri potest *imprudencia, & defectus solertiæ*: etſi D. Th. refert ad *inconstanciam, & negligentiam*. sed res est parui momenti.

Dico Quarto, Per excessum, vel potius quadam specie & imagine prudentiæ, peccatur contra Prudentiam sex modis, iuxta D. Th. *Prudentia carnis, aſtutia, dolo, fraude, sollicitudine reſporalium, & sollicitudine futurorum*. Prudentia carnis dicitur, quia quis viuunt secundum carnem: vt colligitur ex Apostolo ad Rom. 8. vbi opponit prudentiam carnis prudentiæ spiritus; & sapere secundum carnem, ei quod est sapere secundum spiritum. Nam finis prudentiæ carnis est viuere secundum carnem, sicut finis prudentiæ spiritus est viuere secundum spiritum. *Viuere autè secundum carnem* est sequi instinctus & motus naturæ corruptæ; seu, est facere opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, & cetera, quæ Apostolus recenset cap. 5. ad Galat. Itaque *prudentia carnis* est, quæ excogitat idonea media ad opera carnis cōplenda. Sicut *prudentia spiritus* est, quæ excogitat idonea media ad opera, seu fructus spiritus; de quibus Apostolus agit eodem capite. Sicut enim omnis virtus habet suam prudentiam, qua tamquæ regula in suis functionibus dirigatur, vt opus suū honestum reddat (quod est eius finis intrinsecus:) ita omne vitium habet suam quandam falsam prudentiam, qua dirigatur ad obtinendum bonum delectabile, quod est eius finis; hæc dicitur prudentia carnis.

Notandum autem est Primò, Sicut prudentia vera supponit, & includit appetitum honesti, sine quo appetitu nuda illa notitiā intellectus non habet rationem prudentiæ: ita prudentia carnis, quæ est falsa prudentia, supponit, & includit affectum operum carnis, sine quo affectu non dicitur prudentia carnis. Supponit quidem; quia iudicium omnis prudentiæ siue veræ, siue falsæ, plurimum pendet ex affectu. *qualis enim quisque est, ita iudicat*, vt Aristoteles ait, id est, quisque iudicat conuenienter suis affectibus. Includit verò; quia prudentia non significat qualemcumq; notitiā mediōrum, sed directam & ordinatam ad opus: itaq; includit affectum operis. Vnde Apostolus nomen prudentiæ seu *σπουδαίως* vel *σπουδαίως* passim vsurpat pro affectu alicuius boni honesti, aut delectabilis, mouente intellectum ad excogitationem mediōrum, quibus illud obtineatur: vel pro cogitatione intellectus, quæ ab effectu, seu intentione ad illud bonum ordinatur. Sic cap. 1. ad Rom. *sapere secundum carnem mors est; σπουδὴν κατὰ σάρκα*, id est, habere affectum & cogitationes intentas ad opera carnis. Simili modo accipit, cum ait: *Prudentia spiritus vita, & pax*. Et ad Philipp. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*. Græcè, *ὅτι σπουδάζετε ὑμῶν*, id est, talis sit in vobis affectus, vel talis cogitatio, ex affectu procedens.

Notandum Secundò, Prudentiam carnis imitari veram prudentiam; quia sicut hæc quarit, & inuenit media verè idonea ad finem honestum; ita illa quarit, & inuenit media verè idonea ad finem delectabilem.

21
Prudentia imagine peccatur sex modis. Prudentia carnis.

Viuere secundum carnem.

22
Prudentia supponit affectum finis alicuius.

23

Prudentia
carnis imi-
tatur ve-
ram pru-
dentiam.

delectabilem, ad honores, &c. Vnde non est necessarium in iudicio huius prudentiae esse errorem, seu falsitatem; quia non est necesse ut media non sint idonea ad finem, vel ut iudicet illa esse absolutè bona: sed satis est si iudicet esse convenientia ad finem propositum, ad quem verè idonea sunt. Potest tamen tale iudicium dici practicè falsum, quia est causa prava electionis; siue quia non est consentaneum appetitui recto.

Notandum Tertio, Prudentiam carnis non esse peccatum, nisi ratione affectus pravi, cui subest. Vnde si hic sit peccatum mortale, erit peccatum mortale; si veniale, erit veniale, ut patet ex dictis 1. 2. q. 17. a. vlt. Consilium enim & iudicium sunt actus imperati ab intentione. Vnde accipiunt suam bonitatem vel prauitatem ab intentione.

24
Astutia
quid.

Astutia generatim, est ratio aliquid agendi modo occulto. Dicuntur enim astuti in contractibus & negotijs, qui norunt modos agendi non passim obuios, quibus vel alios decipiunt, vel cauent ne decipiantur. Videtur ab Aristotele vocari *δολος* (*solertiam* quidam interpretantur) quam ipse etiam in malis ponit, ut patet lib. 1. magnorum Moralium c. vlt. vbi dicitur *omnem prudentem esse δολον*, i. astutum vel solertem, sed non contra: quia malus etiam *δολος*, *solers* est, sicut *Mentor* qui videbatur quidam *δολος*, (*solers*) non tamen erat prudens: itaq; astutia generatim accepta, est quid communius quam prudentia. Verùm hic accipitur magis speciatim, nempe pro notitia prauorum mediocorum ad fallendum idoneorum, cum affectu exequendi coniuncto. Hoc modo accipit D. Augustinus lib. 4. cõtra Iulianum cap. 3. cum ait, *omnibus virtutibus quadam vitia esse similia, sicut astutia Prudentiae similis est, quae tamen est vitium*. Et Apostolus 2. ad Corinth. 4. *Non ambulantes in astutia*, Graecè *ἐν πρῶπιᾳ*, quo nomine propriè significatur hæc vitiosa astutia: quia astuti omnia tentant, in omnem partem se vertunt, ut rem conficiant. Continet artem simulandi & dissimulandi. Habet locum in ijs functionibus quæ proximum respiciunt, nemo enim sibi ipse aliquid occultat, vel in modo agendi sibi aliquid occultum optat; sed tantum proximo.

Videtur hæc astutia species quædam prudentiae carnis. Hi enim maximè videntur prudentes secundum carnem, qui modos norunt occultos obtinendi temporalia, fallendo alios.

Quale pec-
catum.

Est peccatum mortale vel veniale, pro ratione affectus cui subest, & nocuenti quod proximo sequitur: si enim expressè vel implicite graue nocumentum intendas, erit peccatum mortiferum: sicut mendacium perniciosum. Item si graue malum sequatur, idque aduerteris vel facile aduertere potueris: tunc enim est intentio tacita, seu interpretatiua. Si autem nullum sit nocumentum, vel modicum, erit veniale: sicut mendacium officiosum, & iocosum. Vide Caietanum in Summa, verbo *Astutia*.

25
Dolus.

Dolus est astutiae executio, siue verbis, siue factis: est enim hoc nomen generale. Tantum habet locum erga proximum, & potissimum in materia Iustitiae, vt in contractibus & distributionibus. Duobus modis, secundum Iurisperitos, dolus venit in contractum. Primò, dando causam contractui. Dicitur autem dare causam contractui, quando si dolus abfuisset, alter nullo modo voluisset contrahere. Secundò, non dando causam;

Dolus ve-
nit in con-
tractum
dupliciter.

sed solum incidendo in contractum: vt quando contractus fuisset quidem initus, sed non eo pretio, verùm maiori aut minori. Verùm autem & quando dolus contractum vel aliam dispositionem irritam reddat, & quando non, dicemus infra Lib. 2. cap. 17. Dubit. 5.

Porrò ignorantia Iuris, etsi crassa sit, semper excusatur à dolo, & consequenter à pœna legis, quando ad eam incurrendam lex requirit dolum seu præsumptionem: quia ignorantia crassa dolum non est.

Ignorantia
à dolo ex-
cusatur.

Nec obstat quòd culpa lata dicatur æquiparari dolo; hoc enim solum est verum quando lex non requirit dolum, præsumptionem, aut scientiam; sed simpliciter loquitur: & in actionibus descendentibus ex contractu, vel quasi contractu; vt notat Siluester verbo *Culpa*. q. 3. & 11. ex Bartolo, Cyno, & alijs.

Quando
culpa æqui-
paretur
dolo.

Fraus est executio astutiae per facta, vt cum mensura est minor iusto, cum moneta est adulterina, vnde est quid contractus & minus commune quam dolus. Itaque dolus & fraus se habent ad astutiam, sicut pactiones & actiones iustae ad Prudentiam. Sicut enim hæc dirigitur iudicio & regulis prudentiae; ita illa iudicio & regulis astutiae. Quare hi modi agendi contra prudentiam non sunt distincti ab astutia, sed executiones tantum, seu actus externi astutiae. De his duobus dici solet, *Fraus & dolus nemini debet patrocinari*. Habetur cap. Ex tenore. 16. de Rescriptis. Item: *Fraudem non fieri ei, qui scit & consentit*, L. Nemo. 7. de Regulis iuris.

26
Fraus.

Dicitur etiam fraus fieri vel contra legem, vel ipsi legi. Contra legem, quando fit contra id quod lege præcipitur vel vetatur, absque colore & artificio, quo violatio illa tegatur. Legi verò, quando artificio quodam ita agitur contra mentem legis, vt videamur illi non repugnare. hoc autem fit potissimum tribus modis, vel iuxta Silu. v. *Fraus* quatuor. Primò, supponendo personam pro persona. vt si coniunx volens donationem facere coniugi, (quod non potest per leges) supponat aliam personam cui donet, cum onere transferendi in coniugem. Si tutor volens emere rem pupilli, (quod per leges non potest) interponat aliam personam quæ emat. Secundò, supponendo rem pro re. vt si filiofamilias volens dare mutuum, loco mutui des triticum vendendù, vt pretio fruatur, nimirum vt hac arte eludas vim L. 1. 7. de Senatusconsult. Macedon. vbi statuitur vt filius familias ex mutuo non teneatur. Tertio, cõtractum pro contractu. vt si vxor in speciem vendat viro, quod intendit donare. Si beneficiarius specie mutui accepti, vel etiam gratitudinis, soluat centum aureos ei à quo beneficium accepit. Si mulier, quæ fideiubere non potest, (per L. 2. 7. ad SC. Velleianum) faciat se principalem debitoricem. Qui his & similibus modis agunt, dicuntur facere fraudem legi, vel in fraudem legis, & non excusantur coram Deo à prauaricatione legis, etsi coram hominibus videantur legem seruare.

27
Agere in
fraudem
legis.

Solicitudo temporalium est nimia mentis occupatio in illis conquirendis vel conseruandis, proueniens ex in ordinato habendi amore, vel amittendi timore. Itaque tria in hoc vitio includuntur: primum est, nimius affectus ad bona temporalia; secundum, timor & anxietas ad quædam, ne vel conatus nostri in ijs corradendis non satis benè

28
Solicitudo
temporalium.

benè succedant, vel damnum aliquod interueniat: tertium, nimia occupatio mentis in illis cogitandis & tractandis.

Solicitudo futurorum. *Solicitudo futurorum* est nimia animi occupatio circa futura, maximè vt vitæ necessaria habeantur, coniuncta cum anxietate & parua fiducia diuinæ prouidentiae. vt cum quis plùs quàm par est sollicitus est de victu, vestitu, alijsque rebus necessarijs, in futurum annum, mensem, vel diem, est species sollicitudinis temporalium.

Hæ sollicitudines, si modum iustum excedant, maximè sunt noxiæ salutis. Primò, quia includunt cupiditatem rerum temporalium, quam Apostolus 1. ad Timoth. 6. vocat *radicem omnium malorum*. Radix, inquit, omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt a fide, & in se ruerunt se doloribus multis, de qua infra lib. 2. c. 47. Secundo, quia impediunt animum à seria cogitatione rerum ad salutem pertinentium: quo nihil potest esse magis perniciosum. bona enim spiritalia nisi attentè & crebrò cogitètur, non cognoscitur eorum dignitas & pulchritudo: quod autem non cognoscitur, non æstimatur; quod non æstimatur, non amatur, non queritur, facile negligitur & contemnitur. Pari modo, peccatorum malignitas, & damna immensa, nisi attentè consideratione, non cognoscuntur; quo fit vt etiam non horreantur, nec vitentur vt par est. Et sanè, si quis diligenter aduertat animum, deprehendet omnes ferè lapsus & peccata hominum ex defectu considerationis prouenire, vt merito dixerit Aristoteles, *omnem peccatèrem esse quodammodo ignorantem*. Nam omnes, vel ferè omnes idèò peccant, quòd malitiam peccati, & pœnam ipsi debitam, vel non considerent, vel non satis considerent; quantum videlicet in tali articulo conueniret.

Hinc Scriptura vocat peccatores stultos, fatuos, insensatos, insipientes. Non tamè hinc inferas, omne peccatum esse ex ignorantia, hoc enim postulat vt nesciatur esse peccatum. Tertio, quia bonas inspirationes impediunt, ne fructu pariant. Vnde Matth. 13. dicitur, sollicitudines seculi, tamquam spinas quasdam, semen verbi diuini suffocare. Itaque cum huius in considerando defectus causa sit, maxima ex parte, temporalium sollicitudo, perspicuum est illam esse valdè perniciosam, & vitandam. Vnde Dominus multis rationibus conatur eam nobis eximere, Matth. 6. *Ideo, inquit, dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*. idque confirmat Primò, quia qui animam dedit, quæ longè est præstantior quàm esca, dabit etiam escam: & qui corpus dedit, dabit vestimentum. Secundo, Si Deus, qui est Pater vester, pascit aues cali, quæ neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; quanto magis pascet vos suos filios? Tertio, Si puerissime vestit lilia & fœ-

num agri, quomodo patietur vobis vestes necessarias deesse? Ex his concludit, rursus repetens quod antè dixerat: *Nolite ergo solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

Deinde addit nouas rationes. Prima est, quòd Gentium sit, diuinam prouidentiam & paternam Dei curam ignorantium, hæc anxie inquirere. Secunda, quòd Pater noster cælestis sciat nos his omnibus indigere: ac proinde, si ante omnia queramus regnum Dei, & iustitiam eius, (quod ipse à nobis requirit) hæc omnia tamquam vilia & parui momenti nobis adiicienda; sicut in emptione rerum pretiosarum, vilia quadam mantissa loco adijci solent. Tertia, quòd craftinus dies, cum præfens fuerit, sollicitus erit sibi ipsi, sufficere enim diei suam malitiam, id est afflictionem & sollicitudinem ipsi congruentem; nec oportere eam ex futuris diebus accersere & præcipere.

Ex his colligas quanti hæc res sit momenti, vide Chrysostr. Hom. 22. in Math. Eandem vetat Luca 21. *Attendite ne forte grauentur corpora vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina illa dies*. Omitto alia Scripturæ loca plurima.

Petes, An ergo sit peccatum mortiferum.

Resp. Non semper esse peccatum mortiferum; sed tunc solum, quando quis propter temporalia re ipsa violat, vel paratus est violare aliquod præceptum in re graui, omittendo, vel committendo: aliàs solum est veniale, tamen ob causam supra dictam summopere cauenda. vide D. Thomam artic. 6. quæst. 55.

Aduerte tamen, moderatam sollicitudinem temporalium & futurorum non vetari, sed commendari. Proverb. 6. *Vade ad formicam, o piger, & considera vias eius, & discite sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat*. Proverb. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem steruit æstate, filius confusoris*.

Ratio est, quia non vult Dominus vt omnia vitæ huic necessaria homini sponte, absque vlla cura ipsius & sollicitudine, proueniant; id enim ipsi esset occasio otij & desidii, quæ maximorum malorum est origo, & meritò puluinar diaboli esse dicitur: sed vult ab eo laborem & sollicitudinem adhiberi; vt hoc exercitio occupatus auocetur à libidinibus, alijsque peccatis, quæ otium parit. Verùm hæc sollicitudo debet esse moderata, & commensata rebus quibus impenditur; vt non sit nimis anxiosa, quali Deo non essemus cure: nec maior tribuatur corpori quàm spiritui; rebus temporalibus quàm æternis; humanis quàm diuinis, vel saltem ne hæc præ illis negligantur.

Hæc de Prudentia sufficiant.

LIBER

29
Est vna àd
perniciosa
ob tres
causas.

30
Prohibetur
in Scriptu-
ris.

31
Quale
peccatum.